In nomine Domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem M.CCCC septimo, indictione quinta,
decima die Mercurij, ultima Mensis Nouembris, hora quasi temporibus Pontificis Sanctissimi
in Christo patris, ac domini domini nostri Gregorij diuina prouidentia Papae duodecimi. Anno
primo in aestuario Consistorij praepotentis in Budissin, Coram honorabili Viro domino
Vlrico Officiali eiusdem praepotentis loci ordinario, in mei Notarij publici ac Testium prae-
sentia, subscriptorum Vocatorum ad hoc specialiter et rogatorum: Constitutus perso-
naliter Strenuus Petrus de Suczk armiger Misnensis dioeceseos, sanus corpore,
compos mentis et ratione ualens, quantum in eo est saluti animae suae prouidere. Per-
pendens hoc dictum, quod nihil est certius morte, et nihil incertius hora mortis:
matura deliberatione, et cum bono proposito, animo deliberato, donatione
irreuocabili quae inter viuos dicitur, nomine Testamenti legauit, condidit et pro
Testamento perpetuis temporibus, pro se et suis haeredibus ac successoribus, quibus-
cunque bonorum suorum, sex modios siliginis de duobus Allodijs, ~~uidelicet~~ de uno Al-
lodio in Hobritcz quatuor modios siliginis, et de Allodio in Decsiwicz duos modios
siliginis singulis Annis: Ad festum Michaelis Archangeli, ad quandam domum in
Budissin dictam das Selhus, ex opposito magnae Valuae Ecclesiae fratrum minorum,
pro sustentatione quatuor pauperum in eadem domo pro tempore commorantium
rite et rationabiliter assignauit. Promisitque dictus Testans mihi Notario
publico infra scripto, huiusmodi Testamentum ut promittitur per ipsum, San-
citum, ratum, gratum ac firmum perpetuo habiturum. Super quibus omnibus et
singulis, petijt sibi fieri et confici Vnum uel plura publicum seu publica, in-
strumenti seu instrumenta sub appensione sigillorum, ~~sigillorum~~ Dominorum
Officialis loci ordinarij praedicti Alberti Plebani Budissinensis, nec non
ipsius Testantis propter fidem pleniorem. Acta sunt haec Anno, indictione,
die, mense, hora, Pontifice et loco, quibus supra praesentibus honorabilibus Viris
Dominis Alberto Kopperitz plebano in Budissin praedicto, Johanne Tylonis
Canonico Ecclesiae sancti Petri in Budissin: Strenuis Heinrico Kopperitz
Nicoldo Gobrewitz Armigeris Misnensis Dioeceseos, prouido Johanne
Pfol oppidano in Budissin et alijs pluribus fide dignis testibus, ad praemissa
Vocatis et rogatis.

Et ego Gregorius Homberg dictae Magdeburgensis
Dioeceseos publicus Imperiali autoritate Notarius,
praedictae donationi, omnibusque alijs et singulis promissis
dum sic ut promittitur, agerentur et fierent, Vna
cum praenominatis praesens interfuit Testibus,
eaque omnia et singula sic ~~uidi~~ fieri, vidi et audiui,
et in hanc publicam formam manu mea propria con-
scriptam redegi: Sigillis dominorum Vlrici Officialis
et Alberti Plebani in Budissin praedictorum, nec non
ipsius Testantis, signoque nomine et cognomine meis so-
litis et consuetis signatum, rogatus et requisitus in fidem
et Testimonium omnium et singulorum praemissorum